

THE COLLEGES OF OXFORD UNIVERSITY

Entrance Examination in Classics
and
Entrance Examination in Modern Languages

LATIN TRANSLATION

Thursday, 19th November 1992. Afternoon

Time allowed: 3 hours.

Candidates should attempt all four passages. They are in roughly ascending order of difficulty, and candidates are advised to work them in sequence. Credit will be given for all work done, even if the paper is not completed.

- (a) *Caesar responds to news of a threat to the province of Gallia ulterior.*

Caesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et quam maximis potest itineribus in Galliam ulteriorem contendit et ad Genavam pervenit. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui erat ad Genavam, iubet rescindi. Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Nammeius et Verucloetius principem locum obtinebant, qui dicerent, sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius voluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memoria tenebat, L. Cassium consulem occisum exercitumque eius ab Helvetiis pulsum et sub iugum missum, concedendum non putabat; neque homines inimico animo data facultate per provinciam itineris faciundi temperaturos ab iniuria et maleficio existimabat.

CAESAR, *De bello gallico* 1.7

TURN OVER

A storm at sea

- (b) me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
 iam iam tacturos sidera summa putes.
 quantae diducto subsidunt aequore valles!
 iam iam tacturas Tartara nigra putes.
 quocumque aspicio; nihil est, nisi pontus et aer,
 fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
 inter utrumque fremunt inmani murmure venti.
 nescit, cui domino pareat, unda maris.
 nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,
 nunc Zephyrus sero vespere missus adest,
 nunc sicca gelidus Boreas bacchatur ab Arcto,
 nunc Notus adversa proelia fronte gerit.
 rector in incerto est nec quid fugiatve petatve
 invenit: ambiguus ars stupet ipsa malis.
 scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis,
 dumque loquor, vultus obruit unda meos.

OVID, *Tristia* i 2.19-34

- (c) *A matter of national security*

Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos, video vos non solum de vestro ac rei publicae verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis et grata in dolore vestra erga me voluntas, sed eam - per deos immortalis! deponite atque oblii salutis meae de vobis ac de vestris liberis cogitate. Mihi si haec condicio consulatus data est ut omnis acerbitates, omnis dolores cruciatusque perferrem, feram non solum fortiter verum etiam libenter, dum modo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas salusque pariat. Ego sum ille consul, patres conscripti, cui non forum in quo omnis aequitas continetur, non campus consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique haec sedes honoris umquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit.

CICERO, *In Catilinam* iv.1-2

erga: towards